

V A R I A C R I T I C A

IN PLATONIS (427-347) Apologia Socratis 21 A verba hoc modo legenda videntur esse: Χαιρεφώντα γὰρ ἴσπε που, οὗτος ἐμὸς τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου καὶ ὁμῶν τῷ πλήθει ἑταιρίζετο καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην καὶ μεθ' ὁμῶν κατήλθε. Ubi ego ἑταιρίζετο supra statui, ibi codices manuscripti ἑταῖρός τε legunt; sed hoc secundum ἑταῖρος quasi statim post unam lineam et illud primum ἑταῖρος repetendo vix telerabiie atque erroneum certo iudicari debet, praesertim cum illud ἑταῖρος posterius nulla figura rhetorica postuletur; immo quadrat in structuram illam verborum ὁμῶν τῷ πλήθει sine dubio ἑταιρίζετο = Chaerephon a vestra factione populari stabat; ἑταιρίζομαι est vox poetica ex Homeri Iliade 24, 335 sumpta, quo poeta Plato libenter utitur; hoc pacto formae grammaticae sententiae optime ac brevissime medemur scribentes ἑταιρίζετο; temerarii enim librarii propria voluntate ex verbo ἑταιρίζετο iterum adiectivum ἑταῖρος factum atque το in τε mutatum est; verbi autem illius imperfectum tempus «consuetudinis» recte ac prudenter opponitur duobus temporibus aoristi ξυνέφυγε et κατήλθε, quibus non status permanens, sed actionis semel evenientes indicantur. Quibus causis omnibus persuasum habemus verbo illo ἑταιρίζετο Platonis locum Apologiae 21 A bene sanatum esse.

ARISTOTELES (384-322) in rhetorica III 1 p. 1403 b 15-17 hanc profert sententiam, quae dicit non verborum oratoris rationem esse habendam, sed videndum, quomodo verba orator loquatur; eandem sententiam Demetrius de elocutione 75 ex Aristotelis rhetorica suscepit; ecce tabula ambos auctores comparandi:

ARISTOTELES

οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἢ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη ταῦτα πῶς δεῖ εἰπεῖν,

DEMETRIUS

δεῖ γὰρ οὐ τὰ λεγόμενα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς λέγεται.